

me reddunt adeo securum, ut de responsione
 ne cogitare quidem velim, & multos ad re-
 spondendum paratos represserim. Quod
 si tamen e latibulo erui queat impurus scur-
 ra, non tam mea quam eruditi orbis inter-
 esset. Est autem suspicio tanto quidem a-
 pud me fortior, quo callidior me scis in
 dijudicandis typographorum formulis, apud
 vos prodiisse, quin & altera vice prelo subje-
 ctum fuisse. Plura non subjicio. Nam si
 possideo favorem tot annis mihi sæpius nun-
 cupatum, tacite dabis operam, ne prorsus in
 latebra sua conquiescat alienæ quietis inimi-
cus. Inde quid consulere, quid proponere
 digneris, exspecto. DEUS autem ut singu-
 la Tua reddat felicissima, precor. Vale cum
 Tuis. Zittaviæ d. 28. Febr. 1693.

LXVIII.

De Rhetorica Ecclesiastica.

Vir maxime Reverende, & Nobilissime.

Festinantissimas meas, ut auguror, acce-
 pisti. Nam erat negotium, quod subi-
 tam Tuam dexteritatem deposcere vi-
 deretur. Sic autem, quæ de causarum ge-
 neribus scripta fuerant, expedire non pote-
 ram. In eo vero vertebatur status, an ex prin-
 cipio Rhetorum, qui sua causarum genera
 for-